



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Crisis Theologica

Cárdenas, Juan de

Sevilla, 1687

Cap. V. Enodantur non nullæ quæstiunculæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75689)

vorabili, præcipue Religionis, oritur dubium ex varietate opinionum, ea opinio eligenda est, quæ est favorabilior Religioni, taliter quod probabilitas opinionis minus favorabilis limitetur, & talis opinio non maneat practice probabilis; sed sententia, quæ dicit, præceptum recitandi matutinum, vel Primam, &c. procedere divisibiliter circa suam materiam, ita ut extendatur ad totam horam, & ad singulas eius partes, est favorabilior Religioni, & cultui Dei: ergo hæc sententia omnino est tenenda in praxi. Minor patet: quia favorabilior est cultui Dei, quod ita obligatus maneat quis ad horam recitandam taliter, quod si non possit totam recitare, teneatur ad partem, quam quod excusetur à recitanda parte, quando non potest recitare totam; quia, quando non potest recitari tota hora, magis favet cultui Dei, recitare aliquid, quàm nihil recitare.

35. Neque ex hac sententia sequitur, quod ægrotus incidat in perplexitatem, & scrupulos. Standum enim est in ea doctrina, quam cum Suariorum, & Thomæ Sanchez tradidi cap. 3. ut obligetur infirmus recitare aliquam partem officij, debere esse omnino certum, quod potest recitare sine illo nocumento; nam si dubitatur, an sit nasciturum, omnino non tenetur propter ibi dicta.

Suar.
Tho. San

CAPVT V.

Enodantur non nullæ quæstionculæ.

SUMMARIVM.

Quid dicendum de cæco scienter memoreriter partem officij? n. 36.

Quid de impotente ad Matutinum, & potente ad Laudes? n. 37.

Iste utique tenetur ad Laudes, quas potest. num. 38.

Laudes habent formam unius horæ. num. 39.

Item, possunt dici in choro separatæ. num. 40.

Quid de potente recitare unum tantum Nocturnum ex Matutino? num. 41.

36. **I**nquires primo, an cæcus excusetur à recitatione partis officij, quam memoria retinet eodem modo ac ægrotus iuxta dicta cap. 3. Nam aliquibus videtur, eodem modo in cæco, qui non laborat alio morbo, quando cæcitat, ac in ægrotato dicendum esse, & asserendum. Dicendum tamen est, non esse in cæco, alias sanitatis particeps, eandem rationem, ac in ægrotato. De ægrotato enim præcipue fabricitate, dubitatur, an illa pars officij afferet nocumentum, & hoc modo periclitatur, quod non evenit in cæco alias sano.

37. Inquires secundo. An qui non potest recitare Matutinum, potest autem Laudes; teneatur ad Laudes recitandas? Ratio, quæ occurrit pro parte negante obligationem, est, quod Matutinum, & Laudes constituunt unam horam; unde solum Matutinum non est hora integra, sed pars vius horæ Canonice: at iuxta sententiam P. Suariorum, & P. Thomæ Sanchez, quam cap. præced. proposui, non habet obligationem recitandi partem unius horæ, qui maiorem partem illius non potest recitare: ergo qui non potest recitare Matutinum, quæ est multo maior pars, non tenebitur ad Laudes.

38. Dicendum tamen est, eum, qui non potest recitare Matutinum, potest autem Laudes, teneri ad recitandas, etiam iuxta sententiam Suariorum supra memoratam. Tum quia commune est, illas censeris duas diversas ho-

Suar.
Tho. San

horas, vt tenent plures Authores apud P. Suar. tom. 2. de Relig. tract. 1. lib. 4. cap. 6. num. 3. distinguunt enim inter nocturnas vigilijs, & Laudes, quas vocant Matutinas. Quod videtur de-sumptum ex cap. 1. de celebr. Missar. vbi dicitur: *Propheta dicente, Septies in die laudem dixi tibi: qui septenarius numerus à nobis impletur, si Matutinali, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, & Completorij tempore nostræ servitutis officia persolvamus Nam de nocturnis vigilijs idem ipse Propheta ait: Media nocte surgebam, &c.* Vbi vides, poni diversitatem inter Matutinalem, & nocturnas vigilijs; & præter nocturnas vigilijs enumerari has septem. Et ideo Hugo de S. Viç. lib. 2.

Hug. Viç. de Ecclef. offic. cap. 9. ait. Nostra autem consuetudo humana parcens infirmitati, & labori, officio prædicto (nocturnorum) Laudes Matutinas continuat, & oratione vna duo claudit officia.

37. Tum etiam, quia licet commune sit admittere septem horas Canonicas, & Matutinum, ac Laudes pro vna computari; negari non potest, Laudes habere formam vnius horæ:

Suar. Nam (vt loquitur P. Suarez vbi supra num. 4.) Nocturni, & Laudes habent proprie initia horarum, qualia esse solent in horis distinctis, & hymnos distinctos; & Laudes habent suam propriam lectionem, seu capitulum, & alia omnia, que ad integritatē horæ in quacumque alia reperitur. Quare dum dicitur, iuxta sententiam Suarij, eum, qui non potest recitare partem magnam horæ non teneri ad reliquam partem, id non est intelligendum de ea reliqua parte, quæ per se seorsim sumpta habet formam horæ integræ, quamvis absolute dicatur complementum Matutini.

40. Tum præcipue, quia Matutinum, & Laudes possunt dici in choro seorsim, absque peccato, saltem ex causa iusta; vt de facto dicuntur in

nocte Nativitatis Domini; & olim separatim dicebantur. Quæ autem separatim in choro dici possunt, habent formam horarum distinctarum, quavis absolute non reputentur communiter vt distinctæ: præceptum autem Ecclesiasticum respicit tamquam materiam dividuam orationes illas, quæ possunt, aut solent dividi.

41. Ad argumentum propositum initio huius quæstionis responderetur, distinguendo minorem: qui non potest recitare magnam partem vnius horæ, non tenetur ad reliquam; [si hæc reliqua pars per se habeat formam vnius horæ, & possit ipsa seorsim in choro recitari,] nego, [quando aliter se habet,] concedo. Quæ distinctio patet ex dictis.

42. Inquires tertio: An qui non potest recitare duos postremos nocturnos ex matutino duplici, aut semiduplici, potest autem primum, teneatur ad hunc recitandum? Respondeo, teneri, etiam iuxta sententiam Suarij supra relatam; eo quod quilibet nocturnus consideratur admodum vnius horæ integræ. Probat. Tum quia vnus nocturnus constituit totum matutinum Paschatis, & Pentecostæ. Tum etiam, quia Præceptum Ecclesiæ, vt terminatur ad nocturnos, continet materiam dividuam; olim enim dividebantur in choro per diversas horas noctis: ergo præceptum obligat ad quemlibet nocturnum per se, etiam independentem ab alio. Et ita intelligenda est prædicta sententia P. Suarij.

